Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31651
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

corpus inquirens invenit. Propter gentilium
autem timorem in virgultis et frondibus invol-
vit eum, que se simulabat ad hortulum clau-
dendum ducere. Ducebat autem corpus eius ad lo-
cum ubi ei revelatum erat. Euntibus autem eis per
viam factum est ut lassarentur animalia sitis
ardore. Que steterunt ita ut amplius se mo-
vere non possent. Tunc mulier oravit ad dominum
ut ei divina misericordia subveniret. Statimque
in loco eodem affluentissimus fons erupit, qui
ad testimonium meritorum eius usque in hodier-
num diem emanat et perseverat, in quo saciata
sunt animalia. Pervenerunt autem ad locum ubi eum de-
signaverat beatus Florianus, et amplius se mo-
vere non potuerunt. Et ita mulier propter immi-
nentem amarissimam persecutionem secrete
cum festinatione sub terra eum posuit. Illi autem
.xl. confessores supramemorati dum hec agun-
tur in carcere mortui sunt. Passus est autem beatis-
simus Florianus .iiii. non. maii. Passio sancti
Victoris. L viii. ii. id. maii.

Cum persecutio christianorum ab Antonino
imperatore mota fuisset, et Sebastianus
dux iussa sui imperatoris impleret,
quidam de cilicia christianus erat, timens deum,
nomine Victor. Cui Sebastianus dixit: Littere ab
imperatore manarunt, in quibus iubet christianos
subici tormentis. Debes ergo sacrificare Vic-
tor, ne secundum imperiale preceptum periculum vite
subeas acerbitate penarum. Victor dixit:
Ego miles sum magni imperatoris Ihesu Christi atque
etiam dei, ideo non obedio precepto mortalis
imperatoris, cuius imperium fragile finiendumque est.
Dei autem mei imperium neque initiari potest neque
terminari, sed manet in eternum, et hii qui mili-
tant ei merebuntur vitam eternam. Dux dixit:
Numquid non et tu unus es ex eis qui sub imperio sunt?
Audi ergo precepta imperatorum et sacrifica. Victor
dixit: Etiam cum humanam miliciam implerem et
humana munera sustinerem, deum tamen occul-
te timebam, unde me non potuit diabolus ex
integro occupare. Corpus meum tantummodo in
potestate tua est, anime vero nocere non potes,
quia dei solius est utraque vel servare vel solvere. Dux
dixit: Video te in responsione tua plurimum
sapere. Victor dixit: Sapientia mea non est ex
me, sed mihi eam deus meus largitus est. Dux dixit: Sacrifica.
Victor dixit: Ego libenter pro hoc punior,
immo et gaudeo, si dignus fuero testimo-
nio Christi, pro transitoria presentia premia regni
celestis adipisci. Dux dixit: Lector es an
diaconus, quod ita dissereris? Victor dixit: Non sum
dignus hac gratia, sed tamen deus perduxit me ad hanc
destinationem. Ipse enim rectis corde prestat
et servantibus mandata sapientiam, et par-
ticipium diviciarum suarum. Sicut enim agrico-
la colit terram et preparat eam ad fructus
ferendos, sic et dei sapientia sperantes in se ani-
mas excolit et divinis fructibus replet.
Dux dixit: Ergo mortem magis eligis quam
vitam. Victor dixit: Hoc. Tunc dux iussit eum constrin-
gi et comminui digitorum eius articulos, donec
ossa de corio secernerentur. Victor dixit:
Gracias ago deo meo, quia appropinquavit ad
me gratia domini mei Ihesu Christi. Dux dixit: Cur an-
nonam tuam non consequeris? Victor dixit: Quia
violenter et inique exigitur, ideo neque consequor
neque comedere eam delector. Habeo enim
spiritualem annonam, ut non esuriam in eternum.
Post hoc dux iussit eum mitti in caminum
ardentem. Et post triduum invenit eum incolo-
mem, quia oratione ad deum fusa ignis eum non

p. s. victoris. lvii. c